

judiciô conscientia, peccat. Atqui qui dubitante conscientia agit, non agit ex fide, seu conscientia judiciô. Ergo peccat. Maj. clara est ex Rom. 14. v. ult. Min. ex natura conscientia dubia patet.

§. 38. Ex his, quæ breviter hæctenus de conscientia allata sunt, patet quod sæpe erret conscientia, interdum non satis firmum sit judicium, interdum scrupulis angatur, interdum dubitet: tota igitur hæc, de qua agemus, doctrina, in eo erit occupata, ut omnia hæc corrigantur, & rectum de agendis & omittendis judicium formetur.

DE

CASIBUS CONSCIENTIÆ.

CIRCA MINISTERIUM ECCLESIASTICUM.

SECT. I.

De Vocatione Ministrorum Ecclesie.

CASUS I.

AN ab electione & vocatione ministrorum Ecclesie, ministerium & populus excludi debeat?

§. I.

QUINQUE actus in ministro Ecclesie legitimè constituendo Augustinae Confessionis Ecclesie observare solent, *primus* est, nominatio certæ personæ, quam Patronus Ecclesie, cui minister præficiendus est, videndam & audiendam sistit, ut de eâ, an ad ministerium in Ecclesia obeundum apta sit & idonea, rectius judicari queat: *secundus* est vocatio, cum Patronus Ecclesie illi, qui nominatus fuit & ab Ecclesia approbatus, literas mittit vocatorias, quæ vulgò vocationis nomine veniunt, quibus vocatur ad obeundum in certa Ecclesia ministerium: *tertius* est Præsentatio, quando nominatus, ab ecclesia probatus & vocatus ablegatur ad Episcopum vel ad Consistorium, ut ibi eruditio, mores & aptitudo ad ministerium in ecclesia obeundum explorentur: *quartus* est ordinatio, quæ peragitur precibus solennibus & manuum impositione: *quintus* est institutio vel investitura, quâ minister ecclesie in actualem officii sui possessionem immittitur, & confirmatur. Vid. Carpz. Jurisprud. Consist. l. 1. Tit. 3. def. 22.